

dulosis patulis brevibus 1-5 cephalis, capitulis breviter pedunculatis, involucri glabriusculi basi parce glandulosi squamis lanceolatis subpatulis, exterioribus dimidio brevioribus, floribus luteis, acheniis flavescenscentibus ovatis laevibus utrinque unistriatis rostro eis duplo longiori terminatis.

Hab. in *Persia australi* in rupestribus montis *Kuh-Ajub* prope *Persepolim* Kotschy No. 409.

Caulis pedalis sesquipedalisve, habitus et panicula *L. Creticae* cui affinis, sed rami saepe polycephali et capitula paulo minora brevioraque. Ab eâ praeter folia indivisa differt praesertim involucri minime glaucescentis squamis patulis nec adpressis, inferioribus longioribus non ovatis obtusis sed triangulari-lanceolatis.

L. tuberosa Jacq. — *petraea* F. et M. quae forsitan eadem ac *L. sonchifolia* Willd. in Persia australi quoque crescit Kotschy No. 889 et 930. *L. sonchifolia* DC. prod. et herb. est *Mulgedium Tataricum* ipsum.

LACTUCA POLYCLADA Boiss. (Sect. *Cyanoseris* Koch.)

L. perennis parce et breviter glandulosa saepe glabrescens caesio glaucescens, *caudiculis nudis repentibus*, foliis subrosulatis ovatis obtusissimis basi attenuatis sessilibus rarius in petiolum attenuatis sublyratis margine denticulatis crassiusculis, capitulis ovatis parvis ante anthesin subsessilibus paniculam subcorymbosam brevissimam inter folia subsessilem formantibus, *paniculâ saepe monstrose post anthesin valde accretâ ramosissimâ*, ramis intricatis incrassatis nudis sub dichotomiis squamosis, involucri glabri phyllis lanceolatis obtusis albo marginatis exterioribus dimidio brevioribus, floribus cyaneis, acheniis rufescentibus brevibus basi attenuatis utrinque unicostatis laevibus rostro eis dimidio breviori terminatis.

Hab. in glareosis alpinis Persiae australis in monte *Kuh-Daëna* Kotschy No. 603 et 662.

Species singularis caulibus 2-4 pollicaribus basi breviter repentibus nudis foliis subrosulatis crassiusculis glaucis $\frac{1}{2}$ -2 pollices longis pollicem latis, panicula corymbosâ intra folia subsessili, capitulis magnitudinis eorum *L. virosae* sed brevioribus. Post anthesin saepe panicula valde augetur, ramosissima fit semipedalis ramis elongatis intricatis dichotomis spongiose incrassatis, sed haec forma monstrosa est, nam in eâ nunquam achenia perfecta observavi.